


**Specimen Observationum Juridicarum, Quas Annuente Deo Ex Decreto
Amplissimi Senatus Academici Pro Vacante Cathedra Juridica Codicis Et Jur.
Feudalis ad D. 14. Sept. 1779.**

Basileæ: Typis Emanuelis Thurneysen, [1779?]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn870424920>


Druck Freier  Zugang





H. K. - 1 (8.)





Balser. de forma test. jud. VIII.
Bernstorff. de ratione d. Falc.
Bertram. de latis
Biener. ^{hist. legum wisigoth.}
^{hist. rest. in integrum.}
Breuning. specimina jur. contro.
Cleemann. de mutuis petitionibus.
Franck. de dominio rei filios. don.
Francke. de legato præceptionis
~~Handl. de ratione d. Falc.~~
~~Handl. de ratione d. Falc.~~
Hobein. de expensis criminalibus.
Huschke. de pignore nominis.
Kastner. de solidorum valore.
Kern. de errore contrahentium.
Kraffel. de jure privato rom.
Martini. Persecutiones Christian.
Mellmann. de interp. legum lodic.
Plätner. de collegiis Opificum.
Pohl. hist. præser. longissimi temp.
Schulte. de jure fisci in hered. priv.
Senckenberg. de Ordine Instit. Leg.
regia et dominio.
Stoetgen. ^{de libertis sepulcr.}
Stoekmann. ^{Jurispr. in novo test.}
^{de Scto Orpificano.}
Sturm. de pactis legitimis.
Süptitz. de nepotibus ex filio un.
Tesdaß. de incertitudine pretii
Thurneisen. Obs. jurid.
Tiecke. de socio fin. reg. agente.
Trendelenburg. de honorario
Zahn. ^{de j. posses. circa fruit.}
de d. i. g. i. o. 35 Bl. d.

21

SPECIMEN
OBSERVATIONUM
JURIDICARUM,

QUAS

ANNUENTE DEO
EX DECRETO

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI
PRO

VACANTE CATHEDRA JURIDICA
CODICIS ET JUR. FEUDALIS

AD D. 14. SEPT. 1779.

H. L. Q. S.

PUBLICO CLARISS. COMPETITORUM
EXAMINI SUBJICIT

JOH. JACOBUS THURNISIUS,
J. U. D. FORI JUDIC. ASSESS.

RESPONDENTE
DOCTISSIMO DOMINO

JOH. JACOBO FREYBURGER,
LL. CULT.

BASILEÆ,

Typis EMANUELIS THURNEYSSEN.

29

I.

Sec. Stat. nostra P. 1. T. 50. si debitor creditori suo bona mobilia omnia vel quaedam hypothecae loco constituerit, ex iisdem vero postea res quasdam alteri pignoris nomine tradiderit; creditor possidens, licet tempore posterior, creditori anteriori hypothecario praefertur. Dissidet quidem in hoc Jus statutarium à Jure communi, quo prior tempore potior est jure, utut secundo creditori res hypothecata tradita sit: quamvis enim inter pignus & hypothecam illud maxime intersit, quod pignus contractu, hypotheca vero pacto praetorio constituatur, illudque tradendum sit, haec sine traditione subsistat, tamen quantum ad actionem hypothecariam attinet, nullum in eo discrimen est. §. 7. I. de actionib. unde & MARCIANUS in l. 5. §. 1. ff. de pignorib. & hypoth. inter pignus & hypothecam tantum nominis sonum differre, ait.

Neque tamen Statuta nostra, dum hac in parte à Jure civili discedunt, ratione destitui putemus; etenim Juris civilis dispositio nonnullis DD. securitatem fidemque publicam nonnihil turbare videtur & efficere, ut in angustiis rei pecuniariae constituti, oblatis quantivis pretii rebus, vix tamen creditorem, qui ipsis subveniat, reperiant, metuente unoquoque, ne pignus jure hypothecae ab anteriore creditore ipsi auferatur. Hinc etiam à Lubecensibus, quos Juris nostri Condd. secuti videntur, constitutum, ut pignus traditum tenens semper sit potior eo, cui eadem res obligata est, sed non tradita, quod tanquam praemium vigilantibus pro firmiori cautione deberi existimabatur. MEV. ad Jus Lubec. Lib. 3. Tit. 4. Art. 5.

II.

Quin etiam si ex bonis mobilibus specialiter obligatis neque traditis debitor quaedam alienaverit, sec. Statuta nostra cit. l. periculum est creditoris, ut qui debitoris fidem secutus sit, quocum paria facit textus P. 2. Tit. 5.

Equidem de Jure romano non interest, quantum ad jus in re creditori competens, nactusne creditor mobilium continuaverit possessionem, an rursus amiserit, usque adeo ut & furtum debitor committere dicatur, quamvis dominus sit, si rem, quam pignori dedit,

vendiderit, five eam tradiderit creditori, five speciali pactione tantum obligaverit. *l. 66. ff. de furt.*

At vero quum multis in locis pro commerciorum securitate usu frequentata sit parcemia Juris, *mobilia non habere sequelam*, eodem quoque principio niti videtur ista Juris nostri dispositio, sec. quam creditori adversus tertium possessorem rei mobilis hypothecatae actio denegatur, idoneo quidem Juris fundamento, quum non sit, quod de lege queratur creditor, qui solam secutus debitoris fidem, eadem deficiente frustratus fuerit. Eandem regulam ad res mobiles commodatas, depositas, locatas, Interpretes nonnulli extendunt, quas dominum à bonæ fidei emtoribus, nisi pretio refuso, vindicare posse, negant. VOETIO sententia non omni aequitatis ratione destitui videtur *Lib. 6. Tit. 1.* cum utique sit, quod facilitati suae dominus imputare debeat, quod tam maligno, cujus fidem necdum habebat exploratam, rerum suarum usum, curam, custodiam aut detentionem commiserit, nec ignarus esse debuerit conditionis ejus quocum contrahebat, arg. *§. 3. I. quib. mod. re contr. obl. l. 19. ff. de R. J.* neque illud pro damno reputare, cui sua credulitate nimia ac temeritate primus ipse causam dedit, si forte ab illis, quibus rem suam mobilem commiserat, indemnitatem consequi non possit, *l. 203. ff. de R. J.*

Istae autem rationes mihi non satisfaciunt, cum hoc inde sequeretur absurdum, posse commodatarium, depositarium &c. quibus dominium à domino delatum non est, plus juris in emtorem per dolum suum transferre, quam ipsi habuerint, contra notissimas Juris regulas; unde etiam CARPZOVIVS in *Jurispr. forens. Rom. Saxon. P. 2. Const. 26. Definit. 5.* hac in re sanctionem Juris Saxonici valde irrationabilem esse putat, eo quod contractus & actus agentium ultra mentem & intentionem contrahentium operari nihil quicquam debeant, atque neglecta hac sanctione, observantiam Fori Saxonici aliud introduxisse, quam Jus civile hodiernum sectari, refert.

III.

Justinianus quando in *l. ult. C. de revocand. donat.* donatori facultatem concedit revocandae donationis ex aliqua earum causarum, quae ibi exprimuntur, hanc constitutionis suae affert rationem: *Ne sit cuiquam licentia & alienas res capere & frugalitatem irridere donatoris.*

zoris. Quo quidem textu admodum sollicitatur *frugalitatis* mentio, quum vixdum intelligatur donationis indoles à donatoris *frugalitate* profectae. *Fragilitatem* in Exemplari suo exprimi curaverat HALOANDER, haud multum discrepante litterarum scriptura; malit tamen aliquis forte *facilitatem*, quandoquidem *facilitatis* esse haud temperare donationibus, vere judicavit ULP. l. 1. ff. de donat. int. vir. & ux. eodemque vocabulo deponentis imprudentiam notavit Imperator §. 3. l. quib. mod. re contr. oblig. At enim vero Interpretis non est, recte inquit Cl. HEINECC. in praef. ad BYNKERSH. Obs. facere, ut elegantius loquantur leges nostræ, sed ut emendatiores loquantur; quae quum ita sint, haud leve praesidium Haloandrinae lectioni paratum videtur in verbis legis 22. C. ad Sct. Vellej. Sancimus, ait ibi Imp. Justinian. *antiqua legum varietate cessante, siquidem mulier intra biennale iuge tempus post priorem cautionem numerandum, pro eadem causa fecerit cautionem, vel pignus aut intercessorem dederit: nihil sibi praedjudicare, quod adhuc ex consequentia suae FRAGILITATIS in secundam jacturam incidere.*

IV.

L. 8. C. de Judaeis exstat rescriptum Impp. Arcad. & Honor. in haec verba:

Judaei communi romano Jure viventes, in his causis, quae tam ad superstitionem eorum, quam ad forum & leges ac jura pertinent, adeant solenni more judicia, omnesque romanis legibus conferant, & excipiant actiones. Unde Judaeos vel in iis, quae cultui peculiaria sunt, romanis legibus fuisse adstrictos, suspicati sunt PEREZ. atque BRUNNEM. Equidem in necessariis muneribus obeundis aliisque compluribus, quae ad superstitionem Judaeorum minime pertinent, ipsos legibus romanis teneri, fateamur necesse est, l. 7. C. de haeret. & Manich. l. 49. C. de Decurionib. At idem in his, in quibus eorum secta laederetur, obtinere, vix est ut mihi persuadeam; nunquam enim majoribus placuit vi compulsæ religio, quare salvae illis erant sabbathorum caeterarumque solennitatum suarum feriae, l. 2. & 13. C. de Judaeis. nec veterum synagogarum impedienda refectio, sed novarum tantum exstructio, l. ult. C. de Judaeis. & in universum à caeteris, in quibus eorum deterior potest esse conditio, veteres constitutiones ea, quae ad cultum pertinent, semper exceperunt. l. 15. §. 6. ff. de excusationib.

Allegari quidem posset, Imperatores quosdam Judaeis infensiores eorum libertatem plerumque restrinxisse, uti ex Nov. 146. Justin. & Nov. 55. Leon. constat, proinde eam ipsam fuisse mentem Justiniani in promulganda cum Codice d^a. lege 8.

At haec me non movent, quin particulam negativam, quae in Justiniano Codice librariorum forsan errore exciderat, è Codice Theodosiano restituere malim, quandoquidem lex antep. C. Th. de Jurisd. huic nostrae gemina, haec habet verba: *Judaei, romano & communi Jure viventes, de his causis, quae NON TAM ad superstitionem eorum, quam ad forum & leges ac jura pertinent, adeant solenni jure judicia, omnesque romanis legibus inferant & excipiant actiones.*

V.

Pluribus textibus ex titulo Pand. de legib. probatur, consuetudinem vim legis obtinere, eo quod constat Jus ex scripto & non scripto, l. 6. ff. de just. & jure; Jus autem non scriptum consuetudo est, quod non minus quam scriptum Jus servatur, l. 35. ff. de legib. imo tantae habetur auctoritatis consuetudo, ut non fuerit necessarium scripto eam comprehendere, uti ait JCTUS PAULUS in l. 36. ff. de legib. Quibus consequens etiam est, legem priorem non modo per legem posteriorem, sed & per consuetudinem abrogari posse; nam cum nihil intersit, suffragio populus voluntatem suam declaret, an rebus ipsis & factis, rectissime quoque illud receptum fuit, ut leges non solum suffragio legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per defuetudinem abrogentur. l. 32. §. 1. ff. de legib. id quod idoneo insuper illustratur exemplo §. 7. I. de injur.

Multos tamen moratur l. 2. C. quae sit longa consuet. ubi haec habentur verba: *Consuetudinis ususque longaevi non vilis auctoritas est: verum non usque adeo sui valitura momento, ut aut rationem vincat aut legem.* Cujus legis quum diversae tentatae sint Cl. Interpretibus cum d. l. 32. conciliandae viae, unus maxime mihi satisfecit Vir C. AVERRANIUS Interpretat. Juris Lib. 2. C. 1.

„ Consuetudo, inquit, abrogat priorem legem; non tamen eam vincit sui momento, suis viribus, propria natura. Utrumque verisimium est: neque sunt hæc contraria. Consuetudo natura sua, „ suisque viribus, & proprio momento non est potentior lege, sed „ omnino par; itaque eam non vincit; sed tamen ipsi derogat, ipsam- „ que

que tollit. Sed quomodo eam tollit? non quia sit potentior, suo-
que momento eam vincat; sed quia est posterior. Lex vincit le-
gem non propriis viribus, non ratione sui momenti; sed ratione
temporis & mutationis voluntatis.

Exemplo testamenti id confirmat AVERRAN. „ Testamentum,
inquit, natura sua non est potentius alio testamento, cum iisdem
solemnitatibus utrumque perfectum sit. Prius tamen testamentum
posteriori rumpitur, §. 2. *I. quib. mod. testam. infirm. l. 2. §. 16. ff. de
injust. rupt. l. 21. §. 3. C. de testam.* non quia hoc sui momento vin-
cat prius, eoque sit natura sua potentius; sed quia posterius est.

Appositè vero huc facit, quod dicitur 2. Feud. Tit. 1. pr. *Legum
romanarum non est vilis auctoritas, sed non adeo vim suam extendunt,
ut usum vincant aut mores.* Quid enim aliud est asserere, quod lex
non vincat consuetudinem, neque contra consuetudo legem, nisi tan-
tundem momenti in utraque agnoscere? non ergo lex magis habet
roboris, quam consuetudo, quae quidem tacita lex est, & legem imi-
tatur §. 9. *I. de Jur. Nat. Gent. §. Civ.* neque adeo consuetudo vincet
legem in vigore nempe & vi, neque lex consuetudinem, sed ratione
folius temporis.

VI.

Constitutione de jure προτιμήσεως §. F. 13. Imp. Frid. justum rei
comparatae pretium emtori intra triginta dies à retrahente jubet sol-
vendum; id temporis spatium, diversum pro locorum consuetudine,
modo annum, modo breviusculum hinc inde est constitutum. Quan-
tulumcunque sit autem legitimum retrahendi tempus, pretium rei
emtae, velut interim laxari casu potest, ita & intendi aliquando posse
medio tempore, non ambigitur: aucto vero interim pretio, non sine
ratione quaestio movetur, quid emtori à retrahente restituendum sit?
neque res dubio caret.

Sec. d. Constitutionem *justum pretium* cum legitimis usuris & ex-
pensis emtori solvendum: justum autem pretium non ex praeterita
emtionem, sed ex praesenti aestimatione constitui dicitur *l. 3. §. 5. ff. de
jure fisci.* & ita quoque ULP. in *l. 62. §. 1. ff. ad Leg. Falcid.* Corpora,
inquit, *si qua sint in bonis defuncti, secundum rei veritatem aestimanda
erunt, hoc est, secundum praesens pretium:* unde nonnulli retrahentem
ad pretium, quo res in praesens venire potest, non quod olim solu-
tum, obligari existimant; quae licèt cum aliqua propugnari videan-
tur

tur probabilitatis specie, magis tamen mihi probatur eorum sententia, qui ad pretium, quod fuit tempore emtionis, respici volunt; quia effectus retractus est, ut retrahens in universum ita occupet locum emtoris, ac si non emtor, sed ipse statim ab initio rem retractam comparasset; cuncta ergo sunt eadem, personis duntaxat mutatis, & hanc quoque Friderici in d. Constitutione mentem fuisse, ex illis ipsis verbis: *solvendo justum pretium, aut quantum quisvis emtor sine fraude dederit*, apparet, quatenus justum pretium ibi intelligitur, quod emtor olim vere dedit, & opponitur ei, quod ille se dedisse falso ad deterrendum retrahentem simulat.

VII.


In l. 12. C. de rei vindic. legitur Rescript. Imp. Dioclet. & Maxim. his verbis exaratum:

Incivile atque inusitatum est, quod postulas, ut mancipium quod tradidisti & eo modo dominium ejus transtulisti, invito eo ex nostro Rescripto tibi assignetur.

Non apparet, quo referantur verba *invito eo*; ad traditum mancipium respicere videntur Cel. ΝΟΟΡΤΙΟ Lib. 2. Obs. C. 25. sensu tamen, velut ipse fatetur, incondito atque insipido, ut scil. stet vel irrita sit venditio, venditi mancipii consensu: quum mancipia in classem rerum conjecta, nec velle nec nolle censeantur: quocirca textui medelam quaerens, ex figlis hoc vitium natum atque pro *invito eo* legendum existimavit *invito emp. vel ep.* quod apud Veteres designabat, *emptore*, quum facile per imperitiam librariorum ex *emp. vel ep.* prodire potuerit *eo*; nisi forte scriptum fuerit *invito ero*, id est, invito mancipii hero seu domino; quaestionem enim in d. l. 12. non de voluntate mancipii sed domini esse, ait, quem non minus *erum* quam *herum* dixerunt Veteres, quod in ULPIANI textu l. 23. §. 3. ff. ad Leg. Aquil. felicissime animadvertisse refert JAC. CUJACIUM.

Quibus tantopere versatis, quidni sustineamus & illud suspicari, textum forsan habuisse *invito reo*, unicamque literulam seu membranae seu librarii vitio intercidisse.

TANTUM.





tur probabilitatis specie, in
tia, qui ad pretium, quod fu
effectus retractus est, ut re
emtoris, ac si non emtor, sec
parasset; cuncta ergo sunt e
quoque Friderici in d. Conf
bis: *solvendo justum pretium*,
rit, apparet, quatenus just
olim vere dedit, & oppositu
rendum retrahentem simula

In l. 12. C. de rei vindic.
xim. his verbis exaratum:

In civile atque inusitatum e
didisti & eo modo dominium
pro tibi assignetur.

Non apparet, quo refera
pium respicere videntur Cel.
men, velut ipse fatetur, inco
rita sit venditio, venditi mar
fem rerum conjecta, nec vell
medelam quaerens, ex siglis
legendum existimavit invito
bat, *emptore*, quum facile per
prodire potuerit *eo*; nisi forte
mancipii hero seu domino; q
luntate mancipii sed domini
herum dixerunt Veteres, qu
Leg. Aquil. felicissime animadv

Quibus tantopere versatis
textum forsan habuisse *invito*
nae seu librarii vitio intercidi

mihi probatur eorum senten
tionis, respici volunt; quia
niversum ita occupet locum
ab initio rem retractam com
his duntaxat mutatis, & hanc
ntem fuisse, ex illis ipsis ver
quis emtor sine fraude dede
ibi intelligitur, quod emtor
ille se dedisse falso ad deter

ript. Imp. Dioclet. & Ma

las, ut mancipium quod tra
ti, invito eo ex nostro Rescri

vito eo; ad traditum manci
Lib. 2. Obs. C. 25. sensu ta
insipido, ut scil. stet vel ir
fu: quum mancipia in clas
censeantur: quocirca textui
natum atque pro *invito eo*
quod apud Veteres designa
librariorum ex *emp.* vel *ep.*
erit *invito ero*, id est, invito
enim in d. l. 12. non de vo
nem non minus *erum* quam
ANI textu l. 23. §. 3. ff. ad
JAC. CUIACIUM.

lineamus & illud suspicari,
que literulam seu membra

